



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola CIX. Gregorii Papae I. Ad Evmdem. De diuisione populi  
Neapolitani.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

quam ad Hydruntinam ciuitatem valeatis ipse contingere, sub qua valueris celeritate, vel ad episcopum Hydruntinæ ciuitatis, vel ad prædictum tribunum, vel ad alium quem in loco tuo te habere cognoscis, scripta dirigas, vt vxorem vel filios prædicti mancipii sub omni habere debeant cautela, atque de ipso sollicitudinem gerere, vt perueniens valeat detineri, & mox cum rebus suis omnibus, quæque ad eum pertinent, naui impositis per fidelem personam huc modis omnibus destinari. Experientia itaque tua cum omni hoc studeat efficacia solertiaque perficere, ne de neglectu vel mora nostros, quod non optamus, animos offendas.

EPISTOLA CVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD FORTVNATVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Ne milites in monasterio virginum hospitentur.

*Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.*

**I**NSINVAUIT nobis latrix præsentium Agnella abbatissa, Ino part. 7. cap. 88. quod intra monasterium ipsius milites hospitentur. Et omnino de fraternitatis vestræ sollicitudine mirati sumus, cur hoc patienter tulerit, & non illud cum omni celeritate fecerit emendari. Vnde hortamur, vt vel nunc studii vestri sit instanter eis quorum interest imminere, quatenus sine aliqua exinde excusatione tollantur, vt nullus illic vltius hospitium & metatum accipiat: ne callidus hostis occasionem inueniens de deceptione religionis habitus, quod absit, valeat exultare.

EPISTOLA CIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD EVMDEM.

De diuisione populi Neapolitani.

*Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.*

**Q**VORVMDAM in Neapolitana consistentium ciuitate relatione de quibusdam capitulis Stephano deferente suscepimus. De quibus Theodorus vir magnificus maior populi ad nos veniens, ante conquestus iam fuerat,

Xxxx iij

a fraternitate tua in eis fuisse præiudicia irrogata. Sed & alteram quorundam relationem in prædicta vrbe degentium, qui prædicti maioris populi partem sequuntur, accepimus. Ex quibus liquido comperimus in duas se partes populum diuifisse. Et quia nobis triste & tibi graue est inter habitatores memoratæ ciuitatis prodiffe discordiam, quorum vnitati studere debueras ac concordia, ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, vt cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinatione transmittas, quæ aut in electorum, aut certe in deputatorum a nobis iudicio, si qua pro tuis partibus sunt agenda, aduersariorum intentionibus ac obiectis per omnia valeat respondere, vt veritate cognita, salubrem hic finem causa suscipiat, quatenus rationabiliter omnibus capitulis quæ in altercationem venerant terminatis, nullas in hac contentione ingrauedo vires accipiat, sed sola inter te & filios tuos pax, sicut decet, & caritas perseueret. Quia ergo exortæ contentiones nulla illic possunt ratione distingui, quippe vbi tanta in habitatoribus est nata dissensio, vt nullus sit qui possit in iudicio respondere, siue defendendæ alternæ partis studio remanere; ita fraternitas tua agat, vt in transmittenda persona, sicut diximus, nullam tarditatem qualibet excusatione subiungat.

## EPISTOLA CX.

## GREGORII PAPÆ I.

AD SERENVM EPISCOPVM MASSILIENSEM.

Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat, monetque imagines in ecclesiis non esse confringendas.

*Gregorius Sereno episcopo Massiliensi.*

**Q**UOD fraternitati vestræ tam fero scripta transmittimus, non hoc torpori, sed occupationi deputate. Latorem vero præsentium dilectissimum filium nostrum Cyriacum monasterii nostri patrem vobis in omnibus commendamus, vt nulla hunc in Massiliensi ciuitate mora detineat; sed ad fratrem & coepiscopum nostrum Syagrium cum sanctitatis vestræ solatio Deo protegente proficiscatur. Præterea indico dudum ad nos peruenisse, quod